



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 151. Cessionis formula a Joanne acceptata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

terminis claris, ac distinctis, nullaque æ-
 quivocatione aut restrictione limitatam
 concinnabant. Displicuit illa summope-
 re Pontifici; verum res sibi erat cum Vi-
 ris flecti nesciis. Germani etiam, ut ei
 majorem adhuc incuterent timorem se-
 ptem propositiones Synodo porrigunt, in
 quibus affirmant, cessionis viam ex omni-
 bus certissimum esse pacis reddendæ me-
 dium, proin illam pure ac simpliciter
 amplectendam, formulamque communi-
 trium Nationum suffragio adornatam esse
 acceptandam; hoc si renuerit Pontifex,
 fore incursum peccati mortalis reatum,
 & a Synodo tanquam supremo Judice ad
 Papatus cessionem præcepti auctoritate
 esse cogendum; si vero pertinacius re-
 cuset, ejus contumaciam brachio etiam
 sæculari in auxilium vocato, nomine u-
 niversalis Ecclesiæ coercendam. Hisce
 Joannes velut fulmine tactus tempore ce-
 dendum existimans, quæ ab eo per vim
 omnino exigì potuissent, animo saltem
 in speciem spontaneo peragere statuit.

§. CLI.

Cessionis formula a Joanne acceptata.

Igitur Papa primo Martii die hora unde-
 cima antemeridiana ad Congregatio-
 nem hunc in finem in ejus Palatio indi-
 ctam accedit, in ea Patriarcha Antio-
 chenus

Sæcul. XV.
 A.C. 1415.

Vander
 Hardt tom. 4
 p. 47.

F, e 3

chenus

Sæcul. XV
A.C. 1415.

chenus Imperatore, & Nationum Deputatis præsentibus, Joanni formulam exhibet, supplicans, ut eam perlegere dignetur. Annuit petito Pontifex, atque lætione absoluta internos animi dolores suppressens dixit, se nunquam alia fore se consilia, quam ut pacem Ecclesiæ redderet, eodemque ex fine Constantiam sese venisse, & nunquam non sponte ac libere cessionis viam approbasse; quibus dictis alta voce formulam sequentibus verbis conceptam pronunciavit.

Ego Joannes Papa XXIII, propter quietem totius populi Christiani, profiteor, spondeo, & promitto, voveo & juro Deo & Ecclesiæ, & huic sacro Concilio sponte & libere dare pacem ipsi Ecclesiæ per viam mee simplicis cessionis papatus, & eam facere & adimplere cum effectu juxta deliberationem præsentis Concilii, si & quando Petrus de Luna Benedictus XIII, & Angelus Corario Gregorius XII. in suis obedientiis nuncupati papatu, quem prætulerunt, per se, vel procuratores suos legitimos similiter cedant, & etiam quocunque in casu cessionis vel decessus articulo aut alio, in quo per meam cessionem poterit dari unio Ecclesiæ Dei ad extirpationem præsentis schismatis,